

Letter 364: 6 July 1528, [Strasbourg], Capito to Johann Schradin

Original autograph is in Halle UB ms. Ponikau, misc. 9.2, no. 41; printed in Karl Eduard Förstemann, ed., *Neue Mittheilungen aus dem Gebiet historisch-antiquarischer Forschungen* (Halle, 1845), vol. 7.3, pp. 68-70.

Schradino suo fratri in Domino observando. Reutlingen.

... Qui tuas pertulit, constanter se gessit in colloquio [?], quod hic anabaptistae cum invito[?] permiscuerunt. Qua in re curam ac diligentiam charissimi fratris nostri Matthiae videmus, ac sui sodaliti, in quod te cum primis recenseo. Caeterum, mi frater, ne aliorum rapias  
 5 ex animo monentem. Candidus et liber sum. Commovit me rhetorica tua et iuveniliter gestiens epistola tua, qua mihi tam superbe insultas. Animus tuus longe alius est, quam literae testantur. Scio ex aliis fidem ac studium in te pietatis, sed imitatio alieni spiritus mititatem interea inficit. Quaeso te, da operam, ne quid munerum Dei in quoquam calumnieris. Zelotes est Dominus, seu gloriam ab occupatoribus asserit potenter. Lutherus eximium Dei organum est, per quem lucem  
 10 orbi invectam primulum in amplio rem gradum provexit, a quo multi profecerunt. Sed mihi crede, vera et comperta referunt, Zuinglium sanctissime praedicasse, antequam Lutheri nomen audiretur, simulque studuisse rebus ecclesiae, sicut bonum decet pastorem, cui nolim maledici nisi a maledictis. Sunt, qui vitio dederint, quod nihil Lutheri legeret. Tum enim, hoc est, ante sacramentariam causam, quae Lutherus omnia, suo tamen more tractavit, ut multis videbatur,  
 15 molliora fore omnia, si Lutheri spiritum penitus pernosceret. Neminem ille prae se contemnit, sed omnia fit omnibus, cum insuperabili constantia raram morum placiditatem coniunxit, etsi natura est ardentior ingenioque vehementior. Neque Lutherum quisquam nostrum, mi frater, contemnit. Nescimus mentiri, quod nos non credimus, neque analogia fidei patitur, neque in ullius hominis fidem ascenderit, profitemur extra fidem esse, prorsus ultimae in quibusdam  
 20 editioni Lutheranae consentientes, modo recte assequamur. Praecipue dolet acrimonia dicendi, optare talem vim in hostes Christi, non in selectissima membra illius. Eruditionem, et nescio quam eloquentia ... certe hallucinaria ... habemus multo minus eloquentiae consequendae, sed unum hoc in votis est, ut daretur ad Deum converti, atque vacuum agere [?] spectris creaturarum, quo in nobis imago conditoris clarius elucescere posset. Gratulamur tibi fidem et spiritum, atque  
 25 ex parte agnoscimus, adeoque precamur, ut in maius indes provehatur. Nondum enim sumus assecuti. Verum si pateris, monemus, ut equabilem vitam fidei atque spiritui vivas, hoc est, modestus erga te, placidus et charitate redundans erga proximum, qua tegitur multitudo peccatorum. Tantum abest, ut benefacta calumniemur, porro obedientia et obsequio erga Deum. Summa est, ne ex optimis ministris aut capita factionum facias, aut in quoquam vituperes id quod  
 30 sine controversia est ex Deo bonorum omnium largitore. Ad ultimum, si quid scripseris, quod fecerit ad aedificationem, diligenter respondebo, sin mihi obtigerit, quod referre putarim vestram ecclesiam fideliter suggeram. Nescio equidem contendere, praesertim in rebus religionis, Deus pacis nos vocabit. Charissimum fratrem nostrum Matthaicum et reliquos commystas ex nobis salutabis plurimum. Caeterum hoc prope exciderat, facitis consultissime in istum modum agendo  
 35 contra anabaptistas. Imperio nihil effeceritis, diligenti actione ac patrocinio libertatis prorsus concedunt ad primam velitationem. 6 Iulii anno 1528. Charissime, candide et cum Deo inspectore excipias, quae illo teste et conscio scripsi.

Capito tuus.